

erat enim) protulit : « Et præcipiat, inquit, vestra sanctitas h[ab]as litteras, a Berengario editas, si libet, recitari, quas ego quidem ab ipso nequaquam accipi, sed cum eas cuidam suo familiaris, nomine Paulo, per veredarium dirigeret, violenter rapui ; quibus susceptis et ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum quæ continebantur in eis præparantur. Sed inter legendum multum repente fit murmur, et per singula absurdus sensus verba gravis instrepit frenitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissima sordebat hæresi, vehementer displicuit, damnato proinde communi sententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, tum codice Joannis Scotti, ex quo ea quæ damnabantur sumpta videbantur. Concilio soluto discessum est ea conditio, ut, nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis ab omni exercitu Francorum præeuntibus clericis, cum [forte, in] ecclesiastico apparatu instanter quæsiti, ubique

A convenissent eo usque ob siderentur, donec aut consentirent catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi, non multo post in concilio super fidei suæ statu conventi, ita se sicut Ecclesia tenet catholica credere fideleret et sapere publice professi sunt. Delatisque sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent atque de veritate fidei quam professi fuerant eos qui aderant certos facerent sacramentum dederunt. Sed omissa de libibus relatione, quos post hæc ad apostasiam et priorem vomitum audivimus redisse, libelli bujus tenorem, in quo fidei nostræ sinceritatem, juxta antiquorum Patrum auctoritatem, multis eorum exemplis adhibitis, ut potuimus, fideleriter ostendimus, tandem claudamus, Dominum omnipotentem totis præcordiis glorificantes, cuius est donum et gratia, ut fideleriter credamus et bene agamus, qui vivit et regnat in Trinitate unica et unitate perfecta per omnia sæcula sæculorum.

EPITAPHIUM AINARDI ABBATIS DIVENSIS,

Auctore DURANDO.

(*ORDERIC. VITAL., Hist. eccl. lib. iv, apud DUCHESNE, Historia Northmannorum Scriptores, pag. 545.*)

Hic jacet Ainardus redolens ut pistica nardus
Virtutum multis floribus et meritis.
A quo fundatus locus est hic, ædificatus
Ingenti studio, nec modico pretio.
Vir fuit hic magnus, probitate suavis et agnus,
Vita conspicuus, dogmate præcipuus,
Sobrius et castus, prudens, simplex et honestus,

C Pollens consilio, clarus in officio.
Mentis huic gravitas erat et maturior ætas,
Canaque cæsaries, sed tenuis facies.
Quem nonus decimus Februio promente Kalendas,
Abstulit ultima sors, et rapuit cita mors.
Pro quo qui transis supplex orare memor sis,
Ut sit ei saties alma Dei facies.

EPITAPHIUM MABILIÆ COMITISSÆ,

ROGERII DE MONTEGOMERICO UXORIS,

Auctore DURANDO.

(*ORDERIC. VITAL., Hist. eccl. lib. v, ubi supra, p. 578.*)

Alta clarentum de stirpe creata parentum
Hæc legitur tumba maxima Mabilia.
Hæc inter celebres famosa magis mulieres
Claruit in lato orbe sui merito.
Acrior ingenio, sensu vigil, impigra facto,
Utilis eloquio, prævida consilio.
Exilis forma, sed grandis prorsus honestas,

D Dapsilis in sumpu, culta satis habitu.
Hæc scutum patriæ fuit, hæc munitio marchæ,
Vicinisque suis grata vel horribilis.
Sed quia mortales non omnia possumus omnes,
Hæc periit gladio, nocte perempta dolo.
Et quia nunc opus est defunctæ ferre juvamen,
Quisquis amicus adest subveniendo probet.